



12. 106.

etiam delectari ac etiam quibusque inveniendis rursum
milliones emerit, illi inserviuntur adibitum ut etiam
cum ab aliis latitudine leviora deponit, ut
etiam in rebus aliis utrumque se alterius ab eo distinguitur.

DE

N V M I S S

REI MONETARIAE REFORMATAE

TESTIBVS

PRAEFATVS

AD

ORATIONEM

BENEFICIO

R I C H T E R I A N O

SACRAM

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

F R E I B E R G A E,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CX.



QVANTUM beneficium usus pecuniae humana in vita praefat, tantis
insidiis ac fraudibus eandem expositam esse, experientia quotidiana docet. Quis enim est, qui non vel audierit vel legerit de metallis vitiatis et depravatis, de monetae aeruscatoribus et falsariis; itemque de numis adulterinis, interpolatis ac cerussatis? Quae
querela cum multis abhinc saeculis increbuit, tum nostra in primis
aetate passim fuit renouata. Ut dicens fidem faciamus, ex omni antiquitate
non nisi unum, euimque satis spectabilem numum Imperatoris Rom. Helvii Per-
tinacis in medium adferamus, cuius antica caput Imperatoris laureatum exhibet,
his verbis notatum: IMP. CAES. P. HELV. PERT. AVG. In postica non-
nemo conspicitur sedens, et dextra duas spicas tenens, addita epigraphe: OPI.
DIVIN. TR. P. COS. II. Hic enim numus ideo commemorari meretur, quod
plane nouo et ea aetate prorsus inusitato fraudis genere intus plumbō repletus,
foris autem argento obductus erat. Nam quamvis conslet, monetarum circum-
scriptores aes faepe aureis atque argenteis, ferrum autem aereis laminis incru-
stasse, de subplumbatis tamen nullus veterum meminit. Caussam vero, quae Per-
tinacem ad ineundum hoc consilium adduxit, DIO CASSIUS et CAPITOLINVS,
scriptores proximae aetatis, hanc sere tradunt. Ad rempublicam accedens Imperator,
multa militibus, singulis nempe ter millē drachmas pollicitus erat. Aerario
autem exhausto, quum se promissis stare non posse, videret, necessitate coactus,
id faciliterbat, quod Anton. Caracalla aliquot post annis fallendi animo repetebat.
Hunc enim eiusdem generis numos adulterinos et procudisse, et populo proge-
nuinis distribuisse, testimonia DIONIS confinatur, haec litteris complexi: a)
τῷ Ἀντονίῳ τα τε ἀλλα καὶ το γεισμα κιθηλὸν ἦν, το τε ἀργυρου καὶ το
χειρισι, δ παρειχεν ἡμιν, το μεν ἐκ μολυβδος καταργυρωμενοι, το δὲ ἐκ χαλκε
καταχρυσωμενοι ἐπιεναζετο. h. e. Antonio cum multa alia, tum etiam moneta
fallax erat, tam argentea quam aurea, quam nobis praebuit. Illa enim ex plum-
bo argentata, haec autem ex aere deaurata praeparabatur. Quo vero grauius
damnum hac ex peste in rempublicam promanat, eo maiorem operam nullo
non tempore ii dederunt, quibus summa imperii fuit commissa, ut severissimis
interdictis huic malo mederentur. Neque tamen solum publicis mandatis sed
etiam certis numis haec prauitas exprobrita, exagitata et castigata fuit. Inter
alia numus ALEXANDRI SEVERI hoc docet, in quo Imperator paludatus con-
spicitur, dextra laurum, sinistra hastam tenens, adscriptis verbis: RESTITV-
TORI MONETAE: quia nempe varias numorum formas ab Heliogabalo in-
troducedas dislocuerat, eoruunque usum legi sancta prohibuerat. b) Idemque
leges Romanorum numariae testantur, quarum praecipuae haec erant: c) non-
nisi

a) in Epitom. Xiphil. edit. Sylburg. f. 432.
P. 554.

b) Ois. Thesaur. Numism.
c) Margv. Freher. de re monetar. vet. Rom. L. I. c. 3.

nisi magistratus monetam publicam signanto. Monetarii iuste sincereque numeros faciunto. Numos legitimos reprobare, nulli fas est. Numisma publice signatum nullus violato. Non solum enim ad honorem principis, sed etiam ad reip. salutem permagni interest, monetam probam et eudi et seruari. Qua mente litteris et memorias prodidit homo Gallus, LVD. SAVOTVS, d) quatuor Galliae reges, Philippum Pulcrum, Ioannem, Carolum VI. et VII. cum incredibili ciuium detrimento bonitatem monetae imminuisse; Ioannem autem huius facti mox poenituisse, et publice promisisse, se impostorum non solum probam monetam restituturum, sed etiam filium suum ad id faciendum iureirando adstrinxisse. Idem refert, regem Arragoniae, Petrum IV. regem Maiorcae et Minorcae imperio prius, quod monetam corrupcis, quamvis ipsi Arragoniae reges hoc vitio laborarent, adeo, ut Pontifex R. Innocentius III. grauibus comminationibus praeciperet, ut his fraudibus absfligerent. Quo factum est, ut sequentes Arragoniae reges, quem imperium auspicarentur, publice fidem darent, nulla se ratione iustum valorem receptae monetae immutatuos esse.

Sed, missis antiquis, recentiora monumenta ostendamus, eosque numos, qui testes monetae reformatae prostant, ordine annorum seruato, quibus excusi prodierunt, percenseamus. Horum in numero primo loco numus Gallicus comparet, in antica ducis de Montpensier imaginem repraesentans, capite nudato equo insidentis, his verbis adscriptis: LVD. D. G. BOVRBON. D. MONTISP. PR. DOMBAR. in extremo autem annus indicatur: 1576. Postica ducalem coronam exhibet, addita dictione: TREVOVX, itemque forcipe ac malleis subiectis. Inscriptio cauſam cuius huius numi indicat: BARRIES. PEAG. PONT. LAISSES PASSER LES MONNOYES. e) Tempore huic proximus est numus Henr. III. reg. Gall, qui unum thalerum cum semis exaequans, altera parte lilia decussatim expresa repraesentat, adscripto nomine: HENR. III. D. G. FRANC. et POL. REX. 1578. altera pars insignia regia complectitur, corona ornata, his verbis subiunctis: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM. In margine legitur: CONSTITVTAE REI NVMARIAE EXEMPLVM. f) Eodem consilio anno sequenti eodem in regno numus prodibat, cuius in altero latere femina sedet, dextra lancem, et sinistra cornu copiae tenens, his verbis, ad intelligentiam cuius monetae cauſam, additis: BENE CONSTITVTAE RE NVMARIA. 1579. in altero latere Gallica insignia hac inscriptione cinguntur: CVRA. MONETAR. FRANCIAE. g) Hunc sequatur, cuius altera facies regni Gallici insignia et haec verba inscripta habet: CVRA MONETARIA; altera virum prae

fe

- d) de Numis antiquis. P. III. c. 4.
Saxo-Goth. f) Dunten Verzeichniß einer auserlesenen Sammlung von neuen
Münzen (Hamb. 1756. 8.) p. 54. g) Catalog. van een Cabinet mit Me-
dailles verzamelt van Corn. Afcan, van Sypestein, (Haerl. 1745. 8.) p. 65.

se fert, qui dolio vinario aquam infundit, his verbis adiunctis: PATET FAL-
 LACIA TANDEM. b) Neque ea moneta ab hac classe aliena videtur, quam
 Henricus IIII. rex Galliarum signari iussit, altera facie effigiem regis thorace in-
 duci et lauris cincti referente, cum epigraphe: HENR. IIII. D. G. FRANC. ET
 NAV. REX. altera officinam monetariam repraesentante, quae, instrumentis
 necessariis instructa, haec verba habet adscripta: CATALAVNENSIS FIDEI
 MONVMNTVM. In extrema: A. A. A. F. F. 1591. i) Eiusdem regis au-
 spicis numus cruce insignitus prodidit, et his verbis notatus: HENR. IIII. D. G.
 FRANC. ET NAV. REX. 1607. cuius postica praeter publica insignia haec
 verba exhibet: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM; in margine autem
 legitur: EXEMPLVM PROBATI NVMISMATIS. k) Hunc numus excipit,
 quem Ludouicus XIII. eadem mente percuti iussit, qui regem siflit capite lau-
 reato, his verbis cinctum: LVD. XIII. D. G. FR. ET NAV. REX. altera
 parte virgo conspicitur super libro sedens, et dextra lancem, sinistra cornu
 copiae tenens, his additis verbis: ARTE MEA BIS IVSTVS; in extremo legi-
 tur: MONETA LVD. IVST. 1641. Eodem rege auctore tertio post anno
 numus prodibat, cuius antica eadem effigiem eademque verba habet: in postica
 vero regia insignia cum corona conspicuntur his verbis circumdata: SIT NO-
 MEN DOMINI BENEDICTVM. 1643. In margine canilla monetae diferte
 significatur: LVD. XIII. MONETAE RESTITVTORI. l) Huic et aetate et
 verbis adscriptis et imaginibus proximus est, quem Ludouicus XIV. eodem anno
 luci publicae exposuit, addita inscriptione marginali: EXEMPLVM PROBA-
 TI NVMISMATIS. m) Eiusdem regis alias est, iam commemorato per
 omnia similis, nisi quod haec in margine verba legantur: PONDERE SAN-
 CTVARII. n)

Quanta vero circumspectione Galli prouiderunt, ne res numaria et cum
 ea ipsa res publica detrimentum pateretur; tanta cura Hollandi, ne damnum
 vel infamia ex prava moneta suae dignitati compararetur, cauerunt. Hoc testa-
 tum facit ille numus argenteus, cuius antica equitem cataphractarium, gladium
 vagina vacuum manu dextra tenentem siflit, infra quem insignia Hollandiae
 coronata, cum his verbis: MON. NOV. ARG. CONF. BELG. PROV. HOLL.
 Pollicam praeter symbolum: CONCORDIA RES PARVAE CRESCVNT,
 et aeram 1673. duo leones coronati ornant, qui insignia prouinciarum confœ-
 deratarum tenent. Nominatum ciuitatis Amstelodamensis insigne conspicitur
 subiectum, in margine autem haec leguntur: *Ter Gedachtnisse van de Munt van
 Amsterdam. an. 1673.* o) Cum hoc tam tempore quam loco aurea illa moneta
 con-

b) Speenstein I. c. p. 81.

I) Liffenthal. nu. 134.

o) Ger. van Loon Histoire metallique des XVII. Provinces des Pays bas T. III. p. 75.

i) in Thesaur. Friderie.

m) id. l. c. p. 23.

n) id. nu. 136. b.

k) Speenstein I. c. p. 110.

p) id. nu. 136. b.

conuenit, quae tabulam quadratam fert fructifero circumdatam repraefitat, hisque verbis notatam: MON. AVR. PROVINC. CONFOED. BELG. AD LEG. IMP. In facie auersa eadem est effigies, quae ceterorum numerorum Hollandiae aureorum, margo autem his verbis insignitur: D. GEDACHTNISSE V. D. MVNTE V. AMSTERDAM p) Neque ille numus hac classe eximendus videatur, cuius altero in latere haec inscriptione decem lineas explet: PRO MONTARVM DECORE ET POPVL V SECVRITATE AD PROVINCIAS BELGII CONFOED. CONSILIVM. 1686. Alterum latus inscriptionem exhibet: CONSILIO ARMIS ET INDVSTRIA, itemque insignia ciuitatis Amstelodamensis coronata, et post illa caduceum et gladium decussatum positos. In margine legitur: DOMINE, SALVVM FAC POPVL V TWWM. q) Neque alia mente, anno, qui sequebatur, is numus percutiebatur, cuius altera in facie legitur: MONETA RESTAVRATA. MDCLXXXVII, altera vero insignia Zutphanicensis repraesentat, quae corona ornantur, et dnobus à leonibus tenentur, r) Pari consilio ea moneta lucem publicam vidit, cuius in altero latere verba proflant: MONETA RESTAVRATA. MDCLXXXVI, in altero vero insignia ciuitatis Nimegensis oculis obuersantur, quae duo leones tenant coronis condecorati. s)

Porro inter nummos, rei monetariae reformatae testes, ille referri mereatur, quem rex Sueciae signari iussit, altera facie imaginem regis exhibens, his verbis inscripta: FRIDRICVS D G REX SVECIAE Altera in facie cornu copiae conspicitur, varia monetas effundens, statera et pondere iuxta positis. In extrema legitur: MONETA REG. t) Eundem ad censem pertinet numus, in honorem Augustae Russorum excusus, cuius anticanam effigies Imperatricis ornat, his verbis circumdata: ANNA D. G. RVSSORVM IMPERATRIX. In postica eadem Augusta coronata conspicitur, dextra sceptrum tenens, quod stella irradiat, sinistra prelo monetario innixa, his in extremo verbis additis: REI MONTARIAE INTEGRITAE RESTITUTA. 1731. Auget horum numerorum numerum moneta episcopi Aichstadiensis, cuius pars altera effigiem episcopi ostendit, his verbis notata: IO. EVCHARIVS. D. G. EPISC. EYST. S. R. I. PRINCEPS: in altera insignia episcopalia, adscripto anno 1694, repraesentantur, additis verbis: VIRES VNITAE SOLA SALVS PATRIAE. In margine autem haec legitur: NE ME FALSIFICANS RODAT AVARA MANVS. u) Haud quoque immenito illius numi hoc loco mentionem facimus, quem rex Sueonum, Carolus XII. cudi iussit, postquam baro Goerzius priuilegiis monetariis nefarie abusus erat. Ut enim posteritas hanc audaciam detestaretur atque abhorreret, monetam luci publicae exposuit, cuius in antica regis imago conspicitur, hac inscriptione insignita; CAROLVS XII. D. G. REX. SVEC. In postica autem

p) id. l. c.

t) in Numophylacio Madaiano.

q) id. l. c. p. 315.

v) Lilienthal, Thaler-Cab. p. 150.

r) l. c. p. 314.

s) l. c. p. 314.

autem insignia Suecica et Bipontina exhibentur, addita epigrapha: MED. GVDZ.
HELP. in extremitate annus notatur: 1713. atque in margine haec leguntur:
MANIBVS NE LAEDAR AVARIS. Quae verba itidem in numis, auspiciis
Ulricæ Eleonoræ an. 1719, et 1721, itemque regis Friderici an. 1723. signa-
tis, leguntur repetita. w) Neque silentio praetermittendus videtur numerus Prin-
cipis Nassouio-Weilburgensis, qui in antica principis insignia pileo tecta, quae
duo leones coronati tenent, repraesentat, adscriptis verbis: EX VISCRIBVS
FODINAE MELBAC. 1752. in extremo legitur: F. S. (Fein Silber.) Postea
vero imaginem principis exhibet, peccore tenus efformataam, cum hac epigrapha:
CAR. AVG. D. G. PR. NASS. WEILB. Margo autem haec verba habet: VT
SIT SVO PONDERE TTVVS. Neque iniuriam faciemus Ioanni LAW, eius-
que fratri Guilielmo, si eos inter publicos rei numariae defraudatores referemus.
Ille enim, natione Scotus, ingenii calliditate fretus, eo consilio Galliam petebat,
ut suam versutiam experiretur. Quum enim aditum ad ducem Aurelianensem
sibi comparasset, hoc adiutore à rego priuilegium impetrabat, societatem collig-
endi, quae plurimas pecunias conferebat, ex quibus largissima foenora et in-
credibilem quaestum ex prouincia Americae Louisiana pollicebatur. Quum
vero fraudes istius non minus quam fratris dolи detergerentur, quippe qui aureos
Ludouici nummos adulterauerat, uterque non solum ad poenam vocabatur, sed
infamia etiam notabatur. x) Et quo testatione huius fraudis memoria maneret,
alii autem hoc exemplo sapere disserent, duo numi seriebantur, quorum alter
in antica virum repraesentat, ope microscopii varia chirographa mensae impo-
sita contemplante, iuxta quam patula arca numaria conspicitur. Supra eum
haec leguntur: Vergroesrungsglas thuts hier und an so vielen Enden, dass sich
die Klugen auch die Geldsücht lassen blenden. Infra autem: Der Actien Be-
trug und List. In postica quatuor posstant homines, quorum primus flumen in-
currit suffocandus, secundus laqueum collo innectit, tertius desperabundus caput
perfricat, et quartus fuga salutem quaerit. Explicationem verba adscripta sup-
peditant: Das Spiel ist nun entdeckt: das Blat hat sich gewendet, und so macht
der Betrug ein schreckensvolles End. In extremo legitur: Der ganzen Welt ein
Denkmahl. Alter numerus eadem in causa excusus, et ad nomen circumscriptio-
ris LAW alludens, altera facie haec habet verba: Inuidia, lucripetas alici, vanæ
venditione spei. Lauus, quod verum est, lateat, quamvis aliquando patebit. In
vidia, auriferos vendis montes, potieris abenir. Lauus, quicquid sub terra est, in
apricum proferet aetas. Hor. I. Ep. 6. Autor pascitur in viuis, liuor post fata qui-
escit. Tunc suus ex merito quemque tuerit bonos. Ouid. I. Amor. 15. Arg. Str.
F. 1720. Altera facies virum ostendit ante specum, qui manu sinistra nauem,

dex-

w) id. I. c. p. 45.

x) Mercure historiqv. P an. 1716. lqq.

dextra autem schedulam tenet his verbis inscriptam: *Louisiana est est Bancò et Moneta.* Supra eum Fama volitans duabus ex buccinis haec verba efflat: *LAVS in abris, LAVS in terris.* in extremo legitur: *Inuidiam virtute partam gloriam non inuidiam iudico.* Cic. Huc satyrae pertinent, quibus illa aetate idem notatus fuit, e. c.

*Laus nous donne des petits Louis
Seulement la figure.*

*Ce portrait, dit il, vous suffit:
il est en signature, etc. y)*

itemque alia, his verbis concepta: *Ex praeclarum Actionistam, qui Gallorum expilans cistam, Croesum numis superat, qui per modum valde mirum pro argento dat papyrum et inanes schedulas.* Pro papyro capit numeros, aliisque vendit fumos magnus arithmeticus: optime scit numerare, addere et multiplicare, quod subtraxit ciuibus. Post thesauros sic diuisi: *Vnam partem Regi misit, et Regenti alteram: sibi tertiam seruauit, et sic cautus calculavit iuxta arithmeticam.* z)

Plura huius generis numismata proferre possemus, nisi chartae angustia prohiberemur. Quis vero ex iam in medium adlatis testibus rei numariae emendatae, castigatae, et repurgatae, non intelligit, quanta cura et prouidentia reges, principes, et qui nomine quoconque reipublicae praesunt, omni aetate elaborant, ut rem monetariam, sicuti in peius ruere visa fuit, pristinae dignitati restituerent, et, quo minus longius serperet malum, vias obstruerent, maleficiatos autem aerulcatores atque interpolatores legibus compescerent, et poenis grauissimis coercerent. Hoc consilio in comitiis Augustanis anno MD. imperante Maximiliano, monetae, quae adhuc sine lege et modo vagatae erant, partim proscriptebantur, partim suspendebantur, donec res numaria certis regulis conformaretur. Et quum postea idem negotium aliis in conuentibus Augustae Treuirorum, Coloniae Agrippinae, Norimbergae, Spirae, Ratisbonae, etc. habitis, tentatum magis quam expeditum fuisset, tandem Caroli V. auspiciis in comitiis Augustae Vindelicorum agitatis, anno MDLI. communibus ordinum imperii suffragiis causa monetaria ad certam formam perpetuamque normam redacta, legibus definita, et publicis decretis confirmata fuit. Has inter leges primariae haec fere erant: *Ius cuendae monetae, nisi cui ab Imperatore concessum fuerit, neque aliter, quam secundum legem, nemo usurpato.* Quibus haec potestas concessa est, non nisi aurum atque argentum, penes se natum, in numeros convertere licet. Neque fas est, ius monetarium alteri cedere, vendere, locare, aut monetariis redimendum transscribere. Neque alias formas numerorum, nisi receptas ferunt, a) Hac mente cum alii principes, tum Saxonie in primis Electores gloriose

y) *Europ. Fam. 1721. p. 196.*

de re monetaria Germ. Imp. L. II. c. 4.

z) *ibid. p. 894.*

a) *Marqv. Frithernus*

riofae memoriae, Mauritius, Augustus, Christianus uterque, et quatuor Ioannes Georgii singularibus mandatis, oculis omnium expositis, b) publice testatum fecerunt, quanta cura rem monetariam sint complexi: ne quid de iis Augustis dicam, qui hoc, quod iam agimus, faculum rebus praeclare gesitis, et rem publicam saluberrimis consiliis illustrarunt. Praecipue vero Io. Georgius II., mirifico studio id operam dedit, ut moneta sublestiori detecta et reiecta, proba et commendabilis restitueretur, quippe qui iam adolescens viderat atque audierat, quantum detrimenti à Kipperis et Wipperis patriae fuisse illatum. Ita enim in vita illius legitur: c) Es haben sich Ihr. Chffl. Durchl. nicht dauren lassen, das Probieren des Erztes und der Metalle ex professō drey ganzer Jahr zu lernen, um von dem Münz̄wesen gründlichen Unterricht zu haben, davon dero eigenhändiges Probierbuch noch vorhanden.

Vbi igitur de numis satis dixisse videor, ad ipsam caussam, quae hoc scribendi officium imperat, accedo, et SENECAE verba mea iam facio: d)
nunc tempus est, quaedam ex nostra etiam moneta proferri. Si enim, SIDONIO
indice, e) scholae nihil sunt aliud, quam monetae disciplinarum, iuuenes bonae
indolis et probatorum morum omni iure cum numis elegantissimis comparari
poterunt, qui utile et dulce p[ro]fe se ferunt. Talem autem fuisse, dum nobis-
cum fuit, qui iam abitum ex nostra officina parat,

GEORG. HENR. HERRMANN, Freiberg.

mecum omnes ac singuli huius scholae magistri uno ore confitentur. Et ego
quidem illius commendandi officium eo lubentius in me suscipio, quo maiorem
adhaec voluptatem ex infatiabili illius discendi ardore et moribus probatis
percepi. Hic autem priusquam discedet, PATRONIS pro beneficio Richte-
riano, cuius memoriam pie recolet, animum gratum significabit, atque oratione
Latina, fortunam plerumque prudentia superiorē esse, demonstrabit. Cuius
discelsum commilito

Christoph. Fridr. Fischer, Freib.
carmine vernaculo prosequetur, admirabilitate fortunae delineata.

A Vobis, MECAENATES ac FAVTORES ea, quae Vestris meritis
debetur, reverentia petimus, ut cras hora ante meridiem nona, beneuola
praesentia scholam nostram, et benigna auscultatione commilitones nostros
dignari velitis. De quo beneficio nos haud minus nobis gratulabimur,
quam illi,

collectos numos qui contemplantur in arca. f)

P. P. Freib. d. XVI. Febr. A. R. S. MDCCLXIV.

b) in Codic. Augst. Vol. II. L. IV. c. V. a p. 740—1002. c) C. A. Haufw
in Glorioſ. Eleſt. Sax. Bust. p. 1585. d) de Benef. III. 35.
e) Epift. IV, I. f) Hor. Lib. I. Sat. 67.

6.

Mb 1800.

8.

ULB Halle
001 341 081

3




5b.

63

m.c.





B.I.G.

Black

Farbkarte #13

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

3/Color

White

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

8
7
6
5
4
3
2
1
0



10
DE
N V M I S

REI MONETARIAE REFORMATAE
TESTIBVS

PRAEFATVS

AD

ORATIONEM

BENEFICIO

R I C H T E R I A N O

SACRAM

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERG AE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII,

CX.